Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1825
Quelle:
Copyright:

ris in *tres particulas* distributio, quae in *Tractatus* et *Capitula* abeunt. Ipsummet inchoat Prologo: *Quoniam secundum quod dicit propheta Malachias, ymo Dominus per Malachiam: Labia sacerdotis custodiunt scientiam* &c. instruitque potissimum de VII. *Sacramentis*. Librarii coronis: *Scriptum per me Mathiam Hayder feria 3ª. in die sancti sixti in lewbelstarff Anno domini* 1454. quod Oppidum infer. *Austr.* nunc *Leubersdorf*, vel *Loibersdorf* adpellatur.

II. *fol.* 193. *M. Jodoci Weiler de Hailpruna Tractatus*, ut e calce adsumo, *de Casibus Excommunicationis scilicet qui sint de iure uel de consuetudine*. Incipit: *Quia, circa literam, Vos estis sal terre, curatus sacerdos comparatur sali* &c. et in IX. *Lectiones* divisus omnem Excommunicationis, Reservationum &c. materiam in usum Confessariorum egregie pertractat. Pronunciatum fuisse *wienne* 1450. in calce idem testatur *Mathias Hayder art. Baccal.* scriptor. De Autore saepius in his Commentariis actum est.

III. *fol.* 270. *Sermones* II. Prior habitus in novi Sacerdotis Primitiis agit de Sacerdotum dignitate, et incipit: *Omnes honorate &c. prima Petri 2 Quia fideles karissimi nouellus summi dei sacerdos* &c. Alter habitus videtur circa Festum Ascensionis in illud: *Vado ad eum, qui me misit. Joh.* 16. Incipit: *Dominus noster ihesus cristus in preclaro sermone* &c. sed Scriptor imperfectum destituit.

DCCLXI.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 195. 4. calamo crasso exaratus et miniatus inscribitur in Theca exteriore: *Casus summarij*. Puta *super V. Libros Decretalium* Initium ἀνεπιγραφον: *Gregorius episcopus Seruus Seruorum. Ponitur Titulus papalis cum salutacione et persone quibus scribitur*. &c. Nondum satis dispicio inter *Bernhardum Bottonum Parmensen*, et *Bernhardum de Montemirato Compostellanum*, quorum hunc circa an. 1250. illum circa an. 1240. floruisse, utrumque vero *Innocentio* IV. gratum fuisse ferunt. *Casus Longos super V. Libros Decretal.* a Bibliographis jam huic, jam illi tribui video. Itaque vehementer suspicor, non nisi *de uno* homine rem esse. Quod si ille praeter *Casus longos*, qui non semel sub Typographiae initia prelo proditi sunt, etiam *Breves* reliquit, hos praesenti Codice contineri censeo; *Casus* enim *breves Argent.* 1493. f. excusi sunt *Decretalium Sixti et Clementinar*. U. 192

DCCLXII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 277. 4. non una manu, munde tamen perscriptus et partim rubro distinctus Varia *Viennensia* continet, quae enumeranda duxi. I. igitur habetur Dissertatio Epistolaris 17. *Capitulis* constans *Thomae Haselbachii* nostri ad *Petro-* R. 1109